

*Impotentia
virilis.*

hebetat. Vinum in quo suffocatus est inter virilis impotentiae causas, numeravit Trepfates, nec mulieres si biberint concipere; ideo Dianae in sacris offertur. Assus torminosis peculiariter prodest, a Tralliano dysenteria hepatica laborantibus praescribitur. Carnes ex capitibus decoctae et cum melle subactae, ani tollunt vitia. Percussis denique a Pastinaca cum lasere medetur.

IMBERBEM duplicem nobis descripsit Rondeletius. *Prior*, quem Occitani *Imbriago* a rubore, quo ebriosorum facies inficitur, vocant, rarus est, veteribus parum notus. Hirundini et Cuculo corporis figura similis, colore magis rubro, *capite* magno stellulis caelato. *Oculis* magnis, *Ore* parvo, edentulo, pars inferior Cinnabaris colore inficitur. Os branchias operiens in aculeos ad caudam spectantes terminatur, ad quas pinnae duae sunt rubrae cum appendicibus aliquot, in ventre duae aliae. *Cute* aspera et rubra in dorso et lateribus contegitur. *Ventre* est candido, ad quem e dorso lineae multae ducuntur. A capite ad caudam *dorso* medio acutorum officulo-

rum ordines, cavum efficiunt; e medio pinna rubra aculeis ferratis constans erigitur, quod non nisi in Sagittario videbis; quam alia veluti emollioribus pilis constans sequitur. *Cauda* rubra est Scorpionis caudae similis. *Ventriculus* parvus cum multis appendicibus. *Venter* vere multis ovis distenditur.

Alter a squammarum asperitate, *Asper* nominatus, *corpore* est brevi, tereti, digiti magnitudine, *colore* minii vel valde purpureo. *Capite*, *branchiis*, *pinnis* descripto similis, *squammas* habet parvas, ferratas, oblique sitas, a capite ad caudam lineam ex squammis contextam, *pinnas* ad branchias extra candidas, intra ex viridi nigrescentes. *Ventriculum* cum appendicibus paucis parvum, *hepar* candidum, et sine *felle*. *Splenem* parvum ex rubro nigricantem.

Diversus ab hoc *Aldrovandi Asper* *Aldrovand. Hist. Piscium l. 2. c. 2.* *Mullus* est, utpote totus fere ruber, capite aureis cancellis ornatus, in vertice aculeatus, dorso planus et asper, ventre candicans, branchiarum caeruleis striis pictis, caetera flavescens.

ARTICVLVS II.

De Hirundine et Cuculo.

TAB. XVII.
8. 9.

*Plin. H. N.
l. 9. c. 16.*

*Aristot. l. 2.
de partib.
Animal.
c. 16.*

Quaenam sit Graecorum Hirundo, seu ut illi vocant *χελιδων* ambigitur. Rondeletius eandem cum *Lucerna* Plinii, quod noctu luceat, facit, et in Plinii loco transpositionem arbitrantur. Aldrovandus eum piscem esse, quem pro corace sive corvo Salvianus, pro Lucerna Gesnerus posuere, iudicat; et Hirundinem Plinii ab Hirundine Graecorum distinguit, illamque Rondeletii Mugilem alatum, Bellonii et Salviani veram Hirundinem opinatur. Ut ut sit, videtur *Lucerna* dici, non quod lingua ejus per os exerta tranquillis noctibus luceat, (piscibus enim explanata ista, si Aristoteli credimus; et fieri id, piscatores negant,) sed quod vel pinnae versicolores noctu fulgorem quemdam emittant; vel quod speciem antiquae lucernae gerant, vel denique quod oculi ejus no-

ctu luceant, quod verissimum esse iudico. *Caponem* Romani a capitis asperitate et magnitudine dixerunt.

Duae ipsius sunt species, quae in omnibus fere cum cuculo conveniunt. *Ore*, *rostro*, *capite* osseo, anguloso, caelato, aculeorum, pinnarum, cirrorum cartilagineorum numero et loco. Maxima in appendicibus, utrinque ternis, similitudo: in eo distinguuntur, quod binae *rostri eminentiae*, quae in cuculo longiusculae sunt, in hoc vix conspiciantur, pinna lateribus haerens, primum fit viridis, in extremo caerulea, tergus quoque variegatur. Cuculus denique saepe tres libras attingat, duas nunquam hirundo. *Squammis* tam exilibus teguntur, ut Gesnerus pro iis asperam habere cuticulam scripserit.

Alter *Hirundo* duas latas et caeruleas ad latera pinnas, Milvinis brevior-